

Sisymbrium 262. reperio varias plantas huic similes, sed nullas siliquis versus unum latus flexis.

Hypericum 259. *barbatum*, neque occurrit alia petalis barbatis, quam duae ex India occidentali etc. frutices.

Euphorbia inclusa est certe *Epithymoides* mea.

In fructu perficiendo apud me nunc est etiam *Theobroma augusta*. Cacao, Guazuma et Augusta multum fructu differunt, sed singulares staminibus et nectariis, ab omnibus aliis diversae, fecere quod ne genera multiplicarentur conjeci has omnes. Figuram dedit Joh. Miller plantae ac fructificationis etc. praestantior dari nequit, sed etiamnum est inter eas quae nondum missae sunt.

Inula 223. *Oculus Christi* sic videtur.

Orchis 266. *pyramidalis*, bene.

Cycas tab. A. squamulae masculae bene. Spadix feminae minus placet, apex non est laciniatus. Drupa in mea spadici ad dimidium immersa. Stylus setaceus in Tua deficit.

Saxifraga B. an *Saxifragae tridactylitis* varietas, multiformis est varietas.

Arenaria triflora Mant. 240. nisi multum fallor est haec ipsa, cui accedit *Alsine uniflora* Allioni t. 10. f. 1.

C. Linné.

(Epistola sine die, in tergo manu Jacquinii notatur
R. 18. Nov. 1775.)